


Dubois, René-Barnabé - candidat /
Botentuit Langlois, Pierre-Mathurin -
président. - De ulcusculis venereis
quae balano praeputioque insident

1784.

*Paris : Typis Michaelis Lambert,
Regii Chirurgiae Collegii
necnon Academiae Typographi,
viâ Cithareâ,
Cote : ms 2345, n°23*

1784





T H E S E S
ANATOMICO-CHIRURGICÆ,
DE ULCUSCULIS VENEREIS
QUÆ BALANO PRÆPUTIOQUE INSIDENT;

*QUAS, Deo juvante, & Præside M. PETRO-MATHURINO
 BOTENTUIT LANGLOIS, Scholarum Moderatore, antiquo
 in Scholâ Præcticâ Professore, tueri conabitur RENATUS-
 BARNABAS DUBOIS, Turonensis, præclaræ Artium Facultatis
 in Almâ Universitate Andegavensi Magister.*

*Die Veneris 4^a. mensis Junii anno R. S. H. 1784,
 à sesqui-secundâ post meridiem ad septimam,*

P A R I S I I S,
IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS.
PRO ACTU PUBLICO,

ET

MAGISTERII LAUREA.



Typis MICHAELIS LAMBERT, Regii Chirurgiæ
 Collegii, necnon Academiæ Typographi, viâ Cithareâ.

M. DCC. LXXXIV.

THESE
ANATOMICO-CHIRURGICAE

DE ULCUSCULIS VENEREIS
QUAE BALANO PRAEPUTIOQUE INSIDENT;

GAUSS, DEJANUS, & FRID. M. PATRIS ALBERTI
HISTORIIS, & ANATOMIA, & CHIRURGIA, & MEDICINA
IN HUIUSMODI ULCERIBUS, & IN BALANO & PRAEPUTIO
ANALYTICIS, & SYMPTOMATICIS, & THERAPEUTICIS
A GAUSS, DEJANUS, & FRID. M. PATRIS ALBERTI

IN THEATRO ANATOMICO-CHIRURGICO
HABITU, & ANATOMIA, & CHIRURGIA, & MEDICINA
IN HUIUSMODI ULCERIBUS, & IN BALANO & PRAEPUTIO

PARISIIS.
IN AEDIBUS CHIRURGICIS & ANATOMICIS

PER ACTU PUBLICO.

ANATOMICO-CHIRURGICAE
MAGISTER LAMBERT

GAUSS, DEJANUS, & FRID. M. PATRIS ALBERTI

IN THEATRO ANATOMICO-CHIRURGICO


GAUSS, DEJANUS, & FRID. M. PATRIS ALBERTI
HISTORIIS, & ANATOMIA, & CHIRURGIA, & MEDICINA
IN HUIUSMODI ULCERIBUS, & IN BALANO & PRAEPUTIO

ANATOMICO-CHIRURGICAE

M. DCC. LXXXIV.



D. O. M.



T H E S E S
ANATOMICO-CHIRURGICÆ.

DE ULCUSCULIS VENEREIS
QUÆ BALANO PRÆPUTIOQUE INSIDENT.

Ex variis symptomatibus quæ impuram venerem subsequuntur frequentiora periculosioraque judicantur ulcuscula cancrofa: de iis tantum quæ Balanum Præputiumque aggrediuntur acturi Penem morbi sedem, Anatomix face præviâ, describemus.

A ij

EX ANATOMIA.

Penem constituunt cuticula, cutis, cellularis textus, ligamentosum involucrum, urethra, & cavernosum corpus.

Eadem est in pene cutis & cuticula ac in aliâ quâvis corporis parte : textus verò cellularis in eo tantùm differt quod nullam in cellulis adipem admittat, laxior tamen sit & ita cutis extensioni faveat, ut hinc & inde circa penem liberè possit excurrere. Quò propiùs ad corpus cavernosum accedunt ipsius lamellæ, eò firmiùs, stricitiùs, arctiùs sibi invicem adhærent, undè densæ cujusdam membranæ speciem induunt, & in colis dorso in verum abeunt triangulare ligamentum, ossium pubis synchondrosi annexum, quod penis suspensorium ligamentum dicitur.

Corpus cavernosum, extùs membranaceum, intùs spongiosum, ab ossibus ischio & pube, duabus radicibus oritur. Hæ radices primò disjunctæ, deindè ad se invicem antrorsùm inclinantur, demùm in unicum tubum conspirant, septo medio distinctum, urethræ canali super impositum.

Urethra, canalis membranaceus, & spongiosus, à collo vesicæ ad extremum penem extenditur. Textus spongiosus quo circumdatur, versùs bulbum copiosior, per totum penem rarior, in extremo pene dilatatur, & latiori capite in glandem terminatur.

Glans conum refert obtusum, supernè & infernè depressum, basi obliquè truncatâ, sed latiori, ita ut corpus cavernosum superemineat. Cuticulâ obducitur tenuissimâ sub quâ imme-

diatè serpunt sanguinea vasa & nervorum extremitates, undè exquisitissimus sensus & rubicundus glandis color. Versùs basim, coronam dictam, animadvertitur duplex tuberculorum series in ordinem disposita, quos quidem alii folliculos seu glandulas sebaceas putant unguen ibi sæpè coacervatum secernentes; alii verò negant eo quod nec ullus ibi ductus excretorius detegi, nec ab iis liquor exprimi possit.

Cutis duplicatura, quam Præputium vocant, Balanum sine adhæsione regit, undè facile supra ipsum adduci & retrahi potest. Cutis enim ubi extremum glandem attigit, in se ipsam reflectitur, & suâ epidermide tecta, textu cellulari intermedio, fursùm recurrens, valleculam infra coronam glandis sitam adit, ibique in tenuissimam epidermidem conversa, glandem vestit integram & urethræ membranæ interiori occurrit. Ex hâc eâdem cute, in parte glandis inferiori alia nascitur duplicatura, quâ, veluti mediastino, seu septo quodam medio glandi adhærens Præputium, ne hûc illûc longiùs retrahi possit, revincitur. Hinc ex latiori, arctiorive constrictione, major minorve hiatus Præputii.

Arteriæ penis præcipuæ à pudendâ externâ oriuntur. Ubi colis radicem attingere, dividuntur in externum ramum qui in penis dorso serpit & versus glandem terminatur & in internum qui per cavernosum corpus excurrit & ibi consumitur.

Venæ in unicum truncum pariter dorso penis inter utramque arteriam impositum coeunt, sanguinemque effundunt in plexum ab hypogastricâ & mezentericis natum. Duplici pariter conflantur ramo, altero cutaneo, altero profundo. Nervi à secundo, tertio & præcipuè quarto pari sacro.

EX CHIRURGIA.

Ulcuscula cancrofa sunt ulcera ut plurimum exigua, superficialia & rotunda, cum rubore, prurigne, dolore pungenti, & ichoris effluxu, à venereo contagio orta in illis partibus, quæ densiori non vestiuntur epidermide : ac proinde, fi cum syphiliticis res habeatur, genitalia utriusque sexûs in coïtu, labia, linguam, gengivas in columbinis basiis, mammarum papillas in lactatione occupant.

Quocumque modo virus venereum combiberit Balanus, primò rubor nascitur, mox ardet prurigo, brevi subsequitur dolor punitivus, tum papula, durior initio, succrescit, inflammata dehiscit in apice summo, ac tandem in ulcus cancrosum vertitur quod faniem ichorosam & urentem effundens, callis, fungis tuberculisque sæpè circumcinctum, partes subjacentes plûs minùsve depascitur.

Differunt hæc ulcera fede, extensione, exitu. Hæc Balano vel ipsius coronæ, illa Præputio insident. Alia superficialia sunt, alia profundiora : modò impuræ veneri statim succedunt, modò à vitio dudum latente pullulant : alia demum benigna cutem tantum aggrediuntur, nullo obducta callo, pus laudabile emittunt; alia maligna putridum ichorem effundunt, latiùs de die serpunt, fungorum callorumve luxurie exuberant, Balanumque ita erodunt ut mox gangrænâ aut sphacele corripiatur.

Horum ulcerum generalis causa agnoscitur venerea lues; variae tamen peculiares sunt causae figillatim explicandae: enim-
verò queri potest cur pars tantum epidermide defraudata talibus
ulcusculis laboret? Cur nunc statim succrescant, nunc longo
post impuram venerem intervallo pullulent? Cur modò his
modò illis symptomatibus sese virus expromat? Cur post initum
cum eadem infectâ muliere coïtum alius cancris ulceribus,
alius gonorrhœâ, alius bubone afficiatur, alius verò sanus &
incolumis evadat? de quibus, praesenti sermone, brevitatis
causâ, pro viribus differere conabimur.

Visu faciliè dignoscuntur ulcuscula cancrofa & ab aliis ulce-
ribus distinguuntur, si ad symptomata in definitione descripta
attendatur, & cum vitiatâ aut saltem suspectâ muliere se rem
habuisse fateatur æger. Fucum quidem facere forsitan possent ex-
coriationes quæ subsequuntur aliquando coïtum cum muliere,
quæ menstruis acrioribus aut fluore mordaciori laboret; sed
ab ulcusculis venereis in eo differunt quòd sint lata, superfi-
ciaria, benignæ, & faciliè curabiles. Ulcuscula verò cancrofa,
etiam benigna, diuturniorem curam requirunt, & aliis venereis
symptomatibus stipantur.

Prognosis, quoad locale vitium ex sede & naturâ morbi,
symptomatibusque habeatur. Periculosiora sunt ulcera quæ Bala-
num, quàm quæ Præputium aggrediuntur, eo quòd si increverit
inflammatio latius latiusque serpit gangræna, & Balanum omnem
in syderationis consortium brevi trahit; de Præputio verò non
idem timendum, cum aliquandò fieri possit ut, certis quibus-
dam rerum circumstantiis, putà si marginem tantum infestent,
solâ circumcissione prima mali labes radicitus evellatur. Si beni-

gna sint ulcuscula, felicior prænuntiatur exitus, si maligna, tristior. Verbi gratiâ, si sint numerosiora, si partes altè depascantur, si subeat inflammatio gravis unde minitetur pudendorum sphacelus, si callis, phymatis, tuberculis stipentur, si ad carcinomatoden naturam propiùs accedant.

Quoad luis venereæ periculum, vel imminens prænantiant vel præsentem confirmant. Futuram luem indicant aut saltem minitantur ulcuscula quæ coïtum statim subsequuntur. Licet enim plerumque luis periculum afferant, tamen ubi statim in inguine nascitur bubo qui in suppurationem abit, à lue nonnunquam immunes evadunt ægri, quòd virus omne ad bubonem tanquam ad diverticulum quoddam feratur, quo favente, in sanguinem non irruit labes, & sufficit curatio localis; nihilominus si non plenæ hydrargyrosi, levibus saltem inunctionibus, putà curationi *per extinctionem*, uti vocant, damnandus est æger, ut virus omne debellari ac foràs eliminari constet.

Sin autem longo post coïtum intervallo succrescant, tunc nullum est de vitii in sanguinem ingressu dubium, & pro confirmatæ luis venereæ indicio haberi debent.

Patet ergò variam pro vario casu instituendam esse ulcusculorum venereorum curationem: si certa sint luis venereæ indicia, nulla alia ineunda methodus quàm prudens & legitima hydrargyrosi.

Si levis tantùm suspicio habeatur tum, quod operosiores curam plerumque refugiant ægri, levioribus tantùm inunctionibus, seu methodo quam *extinctionem* dicunt, curari poterunt.

Utracunque

Utracumque viam inieris, si sufficiente hydrargyrosi victum subactumque fuerit virus, ulcuscula venerea sæpè sæpiùs sponte & nullâ aliâ medicinâ adhibitâ sanantur; satis est enim ut plurimum, si vel unguento basilicone simplici, aut cui pars quædam *precipitati rubri*, admixta fuerit, vel alio quovis suppuranti aut cathetico remedio operiantur, breviorique tempore & facili negotio perducuntur ad consolidationem.

Quod verò plerisque casibus evenit, non utique, putà ubi gravia ingruunt accidentia, sperandum est; enim verò maligna ulcuscula vel skirrodea sunt, vel valdè inflammatoria, vel carcinomatodea.

Priori casu difficillimè admodum in suppuratum abeunt eo quòd duriòribus callis, chordisve skirrodibus stipantur, quæ non nisi emollientibus diutissimè adhibitis resolvi poterunt; admovebis igitur Balnea lactis tepidi, decocti radicis althææ, infusi mucaginosi seminum psyllii & lini, cataplasmata de micâ panis cum croco, seu farinæ seminis lini in malvarum decocto, &c. Ab omni escharoticorum usu, quibus malum in pejus rueret, cautus abstinebis, nec ad mercurialia confugies, nisi ubi suprâ memoratis remediis varii tumores callive fuerint emolliti.

Si tanta sit inflammatio, ut in sphacelum mox abitura pars videatur, tum crebrò & largiter mittitur sanguis, adhibentur emollientia & relaxantia remedia, incisuris punctiunculisve, vitiata pars pertunditur, & si profundius serpsit malum, quidquid gangrænâ labefactatum fuit penitùs evellitur, ne ex viciniâ loci quod sanum est in sphaceli consortium trahatur, at, quod operæ pretium est, mercuriales inunctiones, non leviores

B

quidem sed legitimæ & ex artis præceptis adhibendæ. Quantum valeat hæc methodus inter mille alia exempla facile proferenda præclare demonstrat observatio cujus nos participes esse voluit *Cl. M. Didier de Lonroy.*

Juvenis quidam ulcusculo laborabat venereo in apice glandis, quod tacito gressu Balanum omnem depascebatur : nullam aliam adhibebat medicinam quàm usum internum & fomentationes externas liquoris cujusdam tunc temporis ad morbos venereos & præcavendos & curandos decantati. Sed eo devenerat malum ut non solum de penis incolumitate, sed & de vitâ ipsâ grave immineret periculum, & paulò seriùs conclamatum foret. Legitima sed prudens & parca, qualem ægri vires permittebant hydrargyrosis instituta fuit, brevique accidentia solo mercurialium inunctionum usu sese remisissent, & post duos menses, amissâ quidem mediâ summi Balani parte, perfectè convaluit æger.

Si ad carcinomatoden naturam proximè degenerant ulcuscula venerea, tum utique convenit methodus superiùs laudata nempe & emollientium usus & prudens mercurialium inunctionum institutio : sin autem prosperè succedat, nulla spes remanet quam ut omne carcinoma penitùs rescecetur ; aut si, vel altitudine, vel adhærentiâ talem curam respuit, palliativâ curatione ægro, quod fas est, vita licet miserrima protrahatur.

